DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI PULMONUM.

Auctore JACOBO COLLINS.

SI quis est morbus, quem summo studio medicus excolere debet, is certe Phthisis Pulmonalis: nam ex omnibus quibus gens humana urgetur, neque alius est qui tam sævam, crebramque mortem affert. Pauci sunt quibus cognati aut amici hac peste abrepti, non sunt lugendi. SYDENHAM in memoriam tradidit, duos fere trientes illorum quos morbi longi tunc temporis jugulabant, hoc morbo interiisse. HEBERDEN etiam in Com-

A



mentarios suos retulit, " quartam partem hominum qui ad adultam ætatem perveniunt, illo perire." Teneros et amabiles depascens, cede et luctu patriam implet; atque proh mœror! nulla remedia adhuc, in lucem prolata sunt quæ hanc tabem jam penitus corpori infixam tollere possint. Spem tamen foveo; ut tempus tandem aderit, quum opera ad causas hujusce mali cognoscendas et curandas impensa, minus irrita forent. Res est igitur magni momenti, ut illius morbi qui artem nostram huccine fefellit, et qui strages tantas etiamnum edere perstat, naturam recte intelligere conemur. Cum in animum induscissem de hac peste pauca edere, non speraveram aliquid novi in lucem proferre. Non mihi tanta fiducia est. Nam non defuere viri doctrina atque scientia præstantes, qui multa de ea scripsissent; at solummodo adductus sum ut legibus nostræ inclytæ Academiæ morem gererem.

DUNCANUS, nobis vix nimis venerandus, quoniam ad scientiam promovendam, permultum contulerit, hunc morbum in tria genera divisit, quæ cum pro dignitate sua tractare mei instituti ratio non sinit, et ea brevitate obscurare nolo, de for-

ma Tuberculosa disserere statui, quia omne tempore, in omne tempestatum genere, homines cujusvis ætatis habitusque maxime opprimit.

Hic morbus ex signo quod fere semper adest, nomen ex origine φθιω diductum ducit, et nihil præter maciem significare videtur: Hæc vero, cum in læsis pulmonibus, tum quoque aliarum partium morbis, frequentissime occurrit, necesse fuit ut medici verbum adderent quo designarent hunc morbum ex pulmonum vitio originem duxisse, atque hoc consilio verbum *pulmonalis* usurpatum est.

Priusquam de hujus morbi natura amplius disserere incipiam, indicia ejus necesse erit in medium proferre, quibus recte definitis, nil de morbo errari poterit.

Fere incipit a tussicula arida, quæ, cum videtur parvi interesse, negligitur; donec vires colligit, et paulatim aucta ægro vel amicis suis periculi metum incutere cœpit. Hujusmodi tussis per multos duraverit annos, sine aliis malis. Modo penitus decedit, modo sine ulla insigni aut gravi irritatione longis etiam et incertis spatiis, sæpe recurrit; alia signa denique accedunt; spiritus

creber; raucitas, cibi fastidium, potionisque desiderium, macies, debilitas, dolores, et gravitas pectoris; post cibum febricula; volæ manuum, plantæque pedum ardore calent, rubore fugace suffunditur vultus. Lingua præter naturam rubet, nitetque, alvus, tarda et dura, inter initia sæpe descendit. Urina a primo hujus morbi impetu subrubra, et frigori exposita sedimentum farinaceum deponit; sed nil valde utile in morbo cognoscendo præstat. Pulsus modo debilis, modo fortis, et in sexagesima horæ parte octoginta plerumque superans. Tussis admodum notanda, nam morbum, ejus sono audito, cognoscere licet; vox rauca, canoraque editur, quasi e spelunca progressa, et ægri exerceri potest. Tussis quæ primis temporibus morbi arida fuit, humida fit, et sputum sive spumantem sive cruentum excitat quod colorem flavum aut subviridem sensim induit, speciem puris referens, et extrema nocte maxime urgens. Appetitus cibi variat, et haud raro præter naturam avidus est. Tunica conjunctiva præter solitum albescit, atque vasa sanguinea e conspectu eripit, unionis nitorem æmulans, et morbum sæpe satis indicans. Corpus

emacrescit, vires animi æque ac corporis languescere incipiunt. Tandem, morbo ingravescente, omnia in pejus ruunt. Tussis magis atque magis urget, sputa purulenta majore copia ejiciuntur, odore fœtido neque sapore jucundo sæpe imbuta. Respiratio multo citior, breviorque, nocte diuque evadit; dolor aut gravitas in pectore indies magis sentitur. Instant urgentque macies et debilitas, quibus œdemata crurum sæpe se adjungunt. Menstrua in fœminis suppressa sunt. Æger in unum latus decumbens magis quam in alterum tussit, spiritumque difficilius trahit. Crescit febris, et formam hecticam induit *, "quæ quotidie revertens accessionibus meridianis et vespertinis; remissione rarius, apyrexia matutina; plerumque sudoribus nocturnis; et urina sedimentum furfuraceo-lateritium deponente." Æger durante remissione, placide dormit, et spem longæ vitæ sibi vanam concipit. Cum ad ultima ventum est, supervenit alvus fusa, cum sudoribus vices alternans, quæ tenues virium vitæque reli-

* Cullen.

quias præcipitant, et mortem in propinquo esse prænunciant.

Præcipiti gressu jam tabes ruit, adeo ut æger intra paucas dies faciem Hippocraticam præ se ferat. Lingua et fauces aphthis obteguntur. Pessime olet anhelitus, corpus totum odorem fœtidum exhalat. Natura demum defessa atque exhausta quiescit, et mors obtanda leniter obrepens, vitæ pariterque ærumnis omnibus ægri miseri finem imponit.

Hæc signa, cursum modo breviorem, modo longiorem perficiunt, et ordo et vires eorum pro rebus variant. Alii hoc morbo paucis mensibus a primo ejus impetu e vivis abripiuntur. Alii quidem per spatium multorum annorum eo laborant. Quandoque nonnulla ex signis solitis per totam ægrotationem sese nunquam ostendunt. Quidem vix ullam partiuntur dispnœam, alii diarrhœa et sudoribus nocturnis parum vexati sunt; nunc dolor thoracis, nunc expectoratio purulenta et febris hectica, omnino absunt. Immo quidam tussis expertes, quibus neque ulla difficultas in utrumque latus cubandi, huic morbo occubuisse

narrantur *. " O quantum difficile est curare morbos pulmonum; O quanto difficilius est eosdem cognoscere, et de eis certum dare præsagium! † "

CAUSÆ.

Hunc morbum cum scrofula intime et necessario junctum esse, tam diu putaverunt medici haud parvi nominis, ut id negare vix ausim. Non mihi negandum, nullam aliam causam esse ex qua tam sæpe oriri videtur. Hinc multi in eadem familia ei succumbunt. Propterea quod qui tabida de stirpe sati sunt, quasi hæreditario jure, omnes jure necessario tabe marcescunt. Nam nihil vero, me judice, magis huc confert, quam dispositio quædam hæreditaria a parentum alterutro in sobolem prolata. Hinc sæpissime usu venire solet, ut a parentibus non ita bene valentibus aut

---

* Hujusmodi exempla mihi et aliis discipulis suis, in Nosocomio publico hujus civitatis occurentia, Doctores Graham et Alison, tam clare quam eleganter demonstraverunt.

† Baglivi, lib. i. p. 34.

laxu fractis, infantes sati sunt, quia primis annis adversa valetudine utuntur, et vitia quædam connata habent, quæ nulla unquam arte aut solertia possunt removere. In aprico est cur ii, quorum pulmones natura debiles existunt, præ cæteris in varios pectoris morbos, maxime phthisin, sint propensi. Quibus illi debent, adnumerari qui pectus natura depressum et angustum obtinent, qui scapulas instar alarum prominentes, costasque in thorace protuberantes habent, nec non qui habitus corporis gracilioris, staturæ proceræ atque ætate juvenes sunt. Quidquid irritationem pulmonum inducere valet, ad phthisin disponere solet. Inter hæc vero primo loco referri debent, cœlum frigidum, humidum et mutabile, calculi pulmonibus inhærentes, secernenda et excernenda, et pro cæteris, perspiratio impedita, negotia sedentaria, præcipue aëre et victu impuro conjuncta, affectus animi graves, nimia cibi seu potus stimulantis repletio, evacuationes profusæ, præsertim intra castra veneris factæ, acres particulæ inspiratione accepta. Unde satis ratio videtur, cur artifices qui vitam degant inter pulveres et vapores noxios, hac peste e vivis tam sæpe dece-

dunt. Denique, diu et acute eloqui, et voce aut tibia canere, eadem ratione nocet; nec desunt exempla, quæ etiam a hæmoptysi, pneumonia, catarrho, asthmate, variola et rubeola, repressis aut incautius tractatis, hanc tabem docent prognatam. Forsitan venia mihi in arte medicinæ tyroni, danda erit, quamvis in errorem inciderem, cum fateor, me nonnullos ea pereuntes vidisse, quorum morbus, ex mea sententia, nullum aliud initium habuit, quam quod diu noctuque tabidis ministraverunt.

PROGNOSIS.

Simul atque hoc malum notisque ejus propriis clare indicatur, et radices suas penitus corpore infixerit, spem locus fere nullus superest. Si igitur eo pervenirit morbus, ut miser febre hectica extabescat, si continenter tussit et pus expuit, fatum in propinquo esse constat. Non ideo tamen signis jam incipientibus, nobis desperandum, mature autem facto opus est. " Hic

enim breve spatium est intra quod, si auxilium non prodest, æger peribit *."

DIAGNOSIS.

Ex his alio loco scriptis, satis constat, ut malum de quo agitur, eo aliquando insideatur, et notis tam obscuris comitetur, ut non facile statuere aliquis potest, ne æger catarrho aut aliis morbis, aut Phthisi implicetur. Hæc enim jam iniens, sæpe non alia signa sibi præfert quam quæ illos prædicant. Tussi sicca, crebra, sine frigore evidente admoto, orta, et febre vacua, incipit phthisis; et ægris aut eorum amicis vix cernitur, et per aliquod temporis omnino negligitur. Contra catarrhus, defluxione, plerumque irritatione ortum ducit; febris levis adest, et regimine antiphlogistico multum levatur. Ante omnia historia morbi, vitæ genus et tabes hæreditaria, in nostro discrimine, nos dirigere debent. Sed si quid in medio

---

* Celsus.

relinquatur, sputorum natura, sive mucosa, sive purulenta, multum ad rectum consilium capiendum conferat. Pus quod plerumque in hoc malo excreatur, friabile, opacum est, male olet, et in aqua facile diffusum, imum sæpe petit. Si acido sulphurico solvatur, et quid, aqua adjecta, præceps detur, pus erit; at nec chemiæ duci in hac re fidendum: GREGORIUM potius secuti, pus homine febre hectica, et lenta tabe consumpto, optime patefieri statuimus.

De natura hujus morbi proxima, non operæ pretium est varias sententias medicorum hoc loco recensere; at non nobis prætereundum ulcera pulmonum. "Speciei confirmatæ," esse necessaria diu putaverunt. JOHANNES HUNTER demonstravit corporis membranas, quæ vel canales, vel cava interna tegunt, sine exulceratione pus formare posse. Immo medici rerum medicinæ periti, homines expectoratione purulenta laborantes mortuos esse, quorum in pulmonibus vix minima quidem ulceris vestigia vidi potuissent, sectione cadaverum monstraverunt. Ex his igitur videtur, pus haud raro extussitum esse, quamvis pulmonum non sit ulcus. Scripta Doctoris BAIL-

LIE, nos certiores faciunt, eos perpaucos esse, quorum in pulmonibus, plus minusve tuberculorum invenire non licuit. Itaque nobis inferre detur, hæc morbi essentiam constituere, et ulcera et vomicas esse fortuitas, et pro sequelis habendas. Ex tuberculis alia inflammata, alia etiam suppurata inveniuntur, quarum natura in utramque partem a medicis agitatur; et quoniam de ea minime inter nostros convenit, non in animo est "tantas componere lites."

In omnium fere, qui Phthisi mortem obeunt, pulmonibus, lobum vel dextrum vel sinistrum, vel utrumque, pleuræ costali adnatum invenitur. Plerumque unum lobum in nonnullis penitus absorptum, alterum inflammatum aut integrum deprehendimus. Superiores et posteriores partes cæteris semper corruptione anteunt, et pulmo sinistri quam dextri lateris sæpius ea urgetur.

RATIO SYMPTOMATUM.

VERBIS quam paucissimis, nonnulla signa hujus morbi explicare conabor.

Tussis et dispnœa ab tuberculorum irritatione,

moleque, oriri videntur, quia sanguis ad superiora, et pectus compulsus per minima arteriarum et venarum pulmonalium vascula, libero cursu ad cor redire nequit.

Febris hectica pus in sanguinem per vasa absorbentia delatum, non semper multis videatur, hanc inducere valet. Immo vero, parte nulla exulcerate, plerumque adest. Debilitas, sive fibrarum laxitate, vel nervorum vitio, inducta, corpus huic valde obnoxium reddere solet, et quivis humor acer resorptus, ea urgente, ad febrem hecticam inducandam valet.

Alvi fluxus, sudoresque, ubi ad ultima ventum est, ad vires fibrarum intestinarum resolutas, et ora hiantia arteriarum quæ ibi dehiscunt, et ad vasa, quorum est halitum cutis spirare, ob vires labefactas, nimis laxa referendi sunt.

Oculi sidunt, ob adipem, cui insidunt, sublatum : iidem pallent, eo quod, eorum vasa particulas sanguinis rubras non accipiunt.

Pedes et crura tument, quia vasis absorbentibus, vis solita deficit ; et quia sanguis per pulmones trajectus, cursu pigro ab artuum venis ægre reducitur.

RATIO MEDENDI.

Si in medium protulerem omnes rationes hunc morbum medendi a medicis sæpe jactatas, operam inutilem conferrem, et nostram artem indoctis ridendam facerem. Sic unus, ægros funiculo insidentes sursum deorsumque corpus jactando curat *. Alter, nobis venerandus, in sua scripta retulit equitationem contra phthisin remedium esse non minus certum quam hydrargyrum contra luem venerealem †, vel cinchonam contra febres intermittentes. Plus fidei illi habendum, qui in hunc modum sententiam suam tradidit: "Proposer une methode assurée pour guerir les pulmoniques, n'est ce pas se vanter d'avoir trouvé la regle pour mesurer la longitude ou le grand œuvre de l'alchemie ‡." Cum igitur omne remedium

* Dr Smith on the use of Swinging.

† Sydenh. Epist. ad G. Cole.

‡ Lescuilt sur la Phthisie.

hactenus nobis cognitum nequaquam in phthisi medenda fide sit dignum, et cum morbo progresso, nihil nisi signa levare restat, ubicunque proclivitas huic morbo sese aperte prodit, nitendum est pro virili parte, ut quamprimum ei occurratur, vel si adsit, ut summis viribus adnitamur, indicationibus maxime ingentibus satisfacere et vires tabe consumptas sustinere. Confitendum est conatus nostros, vix ac ne vix quidem in bonum cadere; attamen nostrum est, operam dare ut mala quæ sanare nescimus, ea quam minima sint. Nihil vero est, quod corpus a phthisi immune reddere, vel incipienti magis possit occurrere, quam recta vivendi ratio, quam optime inter veteres præscripsit CELSUS: " Opus est si vires patiuntur, longa navigatione, cœli mutatione. Si navigationem aliqua res probibet, lectica vel alio modo corpus movendum. Tum a negotiis abstinendum, omnibusque rebus quæ solicitare animum possunt: vitanda cruditas, simulque, et sol et frigus; os obtegendum, fauces velandæ, tussicula suis remediis finienda." Omnia sunt vitanda quæ corpus, et præcipue pulmones, præter naturam irritent. Cura sit ne sanguis in illos majore

copia moveatur, aut ibi congestionem formet. Ad hæc concilia perficienda, omnes vices subitæ, seu frigoris, vel caloris, et quæcunque perspirationi obstent, summa cura fugiendi: at si hoc non fieri potest, ut ægri se induant vestimentis laneis, quæ in promovendo cursu sanguinis versus corporis superficiem, aëris gelidi et humidi mala præveniant. Nonne ob talia consilia spreta, hanc pestem per patriam passibus vix inhibendis grassari. Non prætereundum esse existimo, quod de hac re inter scripta medici nostræ artis periti, conspectui sese offert: "This power of resisting the exciting cause of pulmonary consumption, in so peculiar a situation, I am inclined chiefly to attribute to the flannels with which those sailors cover the surface of their bodies, and to the woollen dresses which they wear on shipboard." In alio loco: "Though I practised much among the Society of Friends, it is remarkable, that I only attended one young woman of their denomination who died of consumption. The greater exemption of those of the Friends, appeared to depend chiefly upon their dress, that has a simplicity and a protection which it would be well for others to

imitate *." Nihil autem magis corpus nostrum adeo lædere, tantasque eidem noxas, et ipsam præmaturam mortem inducere valet, quam vestitus qui non frigus defendere queant. Quod si autem æger neglexerit, victui irregulari, maxime animi commotionibus indulserit, frigori se sæpius exposuerit, aut sub aëre humido, udisque locis vitam degerit, procul dubio quin de illo actum est.

Operæ erit pretium corpus sedulo movere, maxime equitatione, aut ambulatione aperta, ut cœlo libero multo spiritu augeat, attollatque se animus, ut transpiratio promoveatur, et humores ad exteriora magis invitentur. Exercitatio sub dio semper antecedere cibum debet, "in eo qui minus laboravit et bene concoxit, amplior, in eo qui fatigatus est et male concoxit, remissior †." Cavendum tamen ne impetuosior sit motus, neque tantus, ut pulmonum inducat irritationem.

---

* Dr Armstrong on Pulmonary Consumption.

† Celsus.

Tum vero etiam atque etiam hortor, ut æger locum aëremque mutet, et ad sedes cœlo sereno atque miti beatas migret. Enim cœli mutatio, non solo ipsi morbo convenit, verum etiam eo inservit ut ingrata ex animo removeantur. Si ulli exitus fausti ex navigationibus unquam prodeant, magna ex parte oriri videntur ab aëre puro et crebro vomitu, qui plerumque cuivis evenire solet, qui nunquam antea cursum navalem tentaverat; nam nihil vero, me judice, magis ad sanitatem confert, quam emetica inter initia hujus morbi præscripta. Sed mitiora aut leniora, quæ nauseam solummodo cieant, exhibere consultum est. Expectorationem promovent, miatus vasorum pulmonalium occlusos aperiunt, et motus humorum ad excretoria et impetum sanguinis ad exteriora dirigunt. Vitandæ quoque sunt habitationes in locis humilioribus, quæ venti non perspirant, aut ubi aër conclusus est, et minime in his somnus capiendus est. Quantum possint animi affectus, in morbis tam producendis quam fovendis, omnibus notum est. Nam quamvis morbi primo aspectu incurabiles videantur, non quidem per nimiam remediorum copiam, sed aut per gra-

ta amicorum colloquia, aut per honesta ruris oblectamenta, aut per rectam vivendi normam institutam, expugnandi sunt. Itaque ægro tantem nunquam solum relinquere, sed potius musica ludis excitare oportet. Nullum præsentius ad vitam tuendam datur præsidium, quam moderatus et conveniens victus. Ita nimia ciborum repletio, et vitæ et sanitati multis modis adversa est: "ubi ad cibum ventum est, nunquam tuta est nimia satietas *," et neminem magis decet vitam ad sanitatis leges exacte componere quam Phthisi obnoxios, quia, levi saltem errore in diæta commisso, insigni sunt documento, quantam vim ac potentiam rerum naturalium usus aut abusus in corpus habeat. Victus quædam mutatio, est instituenda, et plenus et lautus in tenuem vertendus, ideoque plerumque a carnibus et eis quæ ex genere ac familia animalium sunt, et quæcunque stimulando, actionem cordis et arteriarum valde incitant, abstinendum est, et potius cibi ex vegetantibus sumendi, modo ventriculus eos ferre pos-

* Celsus.

sit. Salita, piperata, conditaque omnigena nocent; vina miraciora, spiritus ardentes, studiose evitari debent. Infusa theæ vel choavæ, aut parcius bibenda, aut prorsus omittenda sunt; et pro his lac, sive asinum, sive bovinum, aut caprinum, sumendum. Asinum omnia alia antecellit, quod probe purgat, et plus materiæ saccharinæ, et minus caseolæ, continet.

Si signa inflammationis valde urgeant, regimine antiphlogistico utendum est. Carnes vel prorsus prohiberi, vel saltem parcius concedi, debent. Necesse est curare ut alvus quotidie suum præstet officium. Ex iis quæ ejus motus sine noxa promovent, palmam ferunt oleum ricinum, pilulæ rhei comp. et salina neutra rite præscripta. In mittendo sanguine duo utique præcipua capita sunt, inflammatio et viriumque robur. Nam ubi hæc adsunt, confidenter sanguinem detrahere licet. Neque hic ætas senilis obstat; ubi vero vires sunt infirmæ, licet ætas sit juvenilis, præstat a venæsectione abstinere; quo in rerum statu, ad exhauriendos et divertendos humores vitiosos a pulmonibus, appositio hirudinum vel emplastri vesicatorii, sæpe repetita, parti

dolenti, egregium affert levamen. Nam usus hirudinum præcipuus est, ubi non in toto corpore sed in parte aliqua vitium est. Digitalis in curanda Phthisi maximum auxilii præstare videbatur, sed experientia habemus exploratum faustos exitus raro ex ea oriri. Epispastica et vesicatoria sedi doloris admota, multum operæ conferunt. Præter jam dicta supersunt adhuc alia remedia in hæc peste demulcenda. Inhalatio vaporum seu picis, aquæ calidæ, et ætheris sulphurici, sæpe prospere cadunt. Siquando tussis urgeat, demulcentia et præ aliis opiata utenda sunt. Lichen Islandicus, extractum hyosciami, tussim lenibunt. Sudores, isti quibus defluit summa cutis, acido sulphurico repremendi sunt. Sed cavendum, ne sudores cohibendo alvum fundamus, quæ duo mala sæpe infelicem vice alterna vexant, et vires exhauriunt. Ad corpus infirmum roborandum, cibum e carnibus facili concoctu, et jusculis carnis gallinaceæ, confectum esse oportet. Nec ad vires debiles erigendos omnem in hac morte stadio potum vini denigaverim; attamen haud adeo largus esse debet. Interdum ad hoc consilium perfici-

endum, medicamenta roborantia, qualia cinchona, mistura ferri composita, præscripta sunt.

Sane ipse ego fateor, quod remediis diæteticis quo aëris et cœli mutatio, corporis conveniens motus, accommodatus cibus et potus, referendi, magis inter initia hujus morbi fidendum quam aliis rebus, et si spem fefellerit hæc vivendi ratio, et morbus in pejus ruerit, nihil restat quin signa lenire secundum indicationes: Nam vanum foret conari, cum ad ultima ventum est, eum curare.

FINIS.